WESSELII ALBERTI VAN HENGEL



# O R A T I O

D E

ELEMENTIS DISCIPLINAE THEOLOGICAE BENE AC DILIGENTER PERTRACTANDIS.

PUBLICE HABITA

DIE XXVIII DECEMBRIS MDCCCXV.

CUM

ORDINARIAM THEOLOGIAE IN ATHENAEO FRISIACO PROFESSIONEM SOLENNI RITU AUSPICARETUR.

*LEOVARDIAE*,
Apud J. W. BROUWER,
MDCCCXVI.



WESSELII ALBERTI VAN HENGEL

# ORATIO

DE

## ELEMENTIS DISCIPLINAE THEOLOGICAE BENE AC DILIGENTER PERTRACTANDIS.

GUBERNATOR FRISIAE ILLUSTRISSIME!

ATHENAEI FRISIACI CURATORES NOBILISSIMI!

QUI EX ORDINUM DEPUTATIS AD HAEC NOSTRA SOLENNIA CONCELEBRANDA DELEGATI ESTIS, VIRI AMPLISSIMI!

RECTOR MAGNIFICE, PROFESSOR HONORARIE, CETERIQUE QUARUMVIS DOCTRINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI!

URBIS FRANEQUERANAE MAGISTRATUS, VIRI SPECTATISSIMI!

SACRARUM LITERARUM INTERPRETES HONORATISSIMI!

ARTIUM ET DISCIPLINARUM DOCTORES ERUDITISSIMI!

QUOTQUOT ADESTIS, CIVES, HOSPITES, SUO QUIQUE LOCO ET DIGNITATE CONSPICUI!

PRAESTANTISSIMI DENIQUE JUVENES, PATRIAE SPES, ATHENAEI ORNAMENTUM, NOSTER AMOR ATQUE DELICIAE!



Quod Veteres pariter ac recentiores tradunt Philosophi, nulla esse in his terrarum regionibus divini numinis dona, quae nos mortales ab omni parte beatos efficiant, id ego quoque hisce diebus perspicue intellexi. Allato enim mihi nuncio, me Regis augustissimi benevolentia Theologiae Professorem in hoc Athenaeo designatum esse; meam quidem gratulabar fortunam, gaudioque, supra quam dici potest, perfundebar; suborta vero mox novi prorsus et ardui, quem mihi imponi sentiebam, laboris cogitatio animum tantopere exercuit ac vexavit, ut abesset parum, quin me honorum mihi praestitorum

torum poeniteret. Nec quidquam tamen me magis follicitavit, quam cura orationis, brevi habendae, quae fi fpem auditorum et exfpectationem omnino falleret, fuscepti muneris triste foret atque infaustum omen. Nempe dicendum erat de fuggestu, quem maximorum ab aevo virorum eloquentia immortalitati confecraverat. Dicendum erat adftante doctisfimorum hominum corona, nec modo adftante, fed patres quoque avosque, tanquam e mortuis, testes excitante. Pro tali autem concione dicturus eram ego, quem per duodecim, et quod excurreret, annos ab literarum cultoribus fere femotum, una rusticorum hominum inftitutio occupasfet. Et id mihi proponere debebam dicendi argumentum, non quod in triviis vulgatum esfet, aut unis Theologis cognitum atque auditum, fed quod, et meam quidem ingenii haudquaquam fuperaret exiguitatem, et perfona tamen mea ac munere fatis dignum judicatum iri praeviderem. In tales igitur tantasque compulfus angustias, quo tandem modo me expedirem, dubius utique haerebam: fed erat aliquid amplectendum, nec interponenda mora. Dicere igitur conftitui *de Elementis disciplinae Theologicae bene ac diligenter pertractandis.*

Quod quum hodie aggrediar; utinam id vobis auditoribus ita peragam, ut intelligenti vestro judicio non omnino videar caufa cecidisfe! AEquis, obfecro, vos ac placidis favete auribus! Vultu vos oculisque annuite, vos, fi vel plaufum ferre mihi non contingat, tenuitati tamen meae humanitate veftra veniam esfe daturos.

*Elementa Disciplinae Theologicae* quaenam fint, post doctrinarum fcholas fapienti Regis confilio inftauratas, non attinet disputare. Tria igitur fumimus nostrae Disciplinae Elementa: *Hermeneuticam facram*, *Historiam Ecclefiasticam*, *Theologiam Naturalem*. Haec autem ab unoquoque, qui ad eruditionis theologicae laudem adfpirare velit, bene ac diligenter pertractanda esfe, nemo intelligentium negare fustineat. At funt tamen haud pauci, qui, placentes fcilicet Vulgo, vel ignaviam fuam pro rerum trutina habentes, in alias partes vergant. Pars igitur contendunt, religionis doctori levem horum Elementorum fcientiam fufficere; fystematis modo, quod dicunt, theologici decreta memoria comprehendat, atque aliqua infuper Oratiuncularum facrarum confcribendarum potitus fit facultate. Multo pejus alii, accurata doctri-

narum

narum ſtudia tristibus, ut ajunt, ludimagistris relinquentes, in iis unice rebus curam ponunt ac diligentiam, quas ſplendido nomine *Populares* vocant. Haec nimirum, haec est hujus aevi, clari ceteroquin atque illustris, perverſitas et pene dementia, omnibus bonis deteſtanda, ut ii, quibus ad antiquam eruditionis laudem pateat aditus, a regia tamen ſtudiorum via deflectentes, per diverticula oberrare ament, ac tralatitia rerum cognitione puerorum more gloriari. Serpit, A. A. ſerpit hocce Malum, non per Galliam ſolum et Germaniam, ubi haud pauca opinionum monſtra gigni videmus, ſed per nostram, eheu! Patriam, perfectae olim doctrinae matrem atque nutricem. Serpit utique viperarum astu, per domos, per ſcholas, per ſanctas Muſarum ſedes; juvenum plurimorum pectora corrumpens, neque eos, qui ad augustisſimae religionis patrocinium accinguntur, vanitatis et ſegnitieï veneno inficere formidans. Vestrum, Juvenes! ne id inficiat, adeoque perdat animum, averruncet optimum, maximum Dei numen! At vos tamen A. A. monitorem me ferte et medicum, aliquam malo, ſicubi lateat, curationem admoventem. Diligentem trium Disciplinae theologicae ele-

mentorum pertractationem his potisſimum de cauſis commendabo: Primum, *quod eorum ſingula utilem per ſe ac jucundam homini ſuppeditant exercitationem:* Deinde, *quod ſedulo unius Elementi ſtudio cetera inſigniter illustrantur:* denique, *quod accurata eorum omnium cognitio ad altiores doctrinas bene addiscendas quaſi manu ducit.*

Primo igitur *utilem per ſe et jucundam praebet exercitationem Hermeneutica ſacra.* Hermeneuticam dicimus, auctore Ernestio, eam disciplinam, quae rationem tradit ſententiae quorumque verborum ſubtiliter et inveniendae et explicandae. *(a)* Quemadmodum autem hac unice Duce intelligi posſunt veterum ac recentiorum libri, ſic etiam utriusque Foederis ſacri volumina: utpote humanum opus, ſub Dei quidem auſpicio, ſed vulgari tamen hominum ſermone ſcriptum atque compoſitum. Fateor, antequam in disciplinae formam redacta erat Hermeneutica, boni exſtitere ſacrae ſcripturae Interpretes; ſed haud magno illi numero, nec cum Posterorum plurimis comparandi: Origenem dico, Hieronymum, Chrysostomum, paucos alios: qui vero, ſi vel posteritati palmam praeripuisſent interpretando; Hermeneutices tamen

uti-

utilitatem exemplo ſuo non magis infregisſent, quam faceret ad Rhetoricen aut Poëticen ſpernendam Homeri laus et Demosthenis. (*b*) Nostro inprimis tempore, quisquis ſacrae ſcripturae ſenſum recte intelligere cupiat, hanc disciplinam non primoribus gustare labris, ſed penitus imbibere, inque ſuccum debet et ſanguinem convertere. Jubet hanc ſtudii diligentiam adhibere nonnullorum, Kantii placita mentientium, levitas. (*c*) Jubent aliorum proterva adverſus ſacrae ſcripturae divinitatem molimina. Labor autem, in eluendam hanc errorum contagionem inſumtus, neutiquam ingratus est. Ingratum dico? — Immo jucundisſima est ea Hermeneutices tractatio, qua tantum abest, ut non niſi ſcholarum praecepta memoriae infigantur, ut ipſi illa ſanctisſimi Veteris Novique Foederis libri asſidue illustrentur. Illustratur igitur ſententioſum illud Orientalium et ſublime dicendi genus, cujus veneres lectori nunquam ſatietatem creant. Discutiuntur tenebrae codicis illius longe antiquisſimi, qui omnium unus religionem homine dignam patefecit. Iis familiares reddimur viris, qui, cum foedis ſuperſtitionibus obſtrictae erant, et Graecia, et Roma, et cunctae terrarum gentes, quamquam obſcuro loco nati, rectum tamen ad

astra

astra iter mortalibus monſtrarunt. Hos igitur, quae mandaverat Deus, emortua lingua loquentes audimus. Cum hiſce per deſerta loca, per varios regionum tractus peregrinamur, principesque videmus ac reges eorum oracula contrementes. Horum novo gaudemus et etiamnum commovemur cantu, qui feros olim et ſaxa in homines commutavit. (*d*) Dulce profecto est cum HOMERO vivere; at multo dulcius divinorum vatum familiaritate frui. Evanuisſe tunc videtur ſequioris aevi labes, vetustorumque Dei cultorum non memoria ſervata, ſed probitas et fides restituta.

*Eundem uſum ac jucunditatem habet Historiae Eccleſiasticae exercitium.* Videlicet orditur ea ab humanarum rerum incunabulis, tanquam ab aquarum fonte, unde fluvii ingentes ſexcentique rivi rivulique enascuntur. Hinc progrediens, ſpectatori monſtrat, quae per quadraginta circiter ſecula tum Patriarchae, tum Israëlitae gesſerunt, quaeque iis acciderunt fauſta atque infauſta. Animadverti potisſimum jubet admirabilem divini cultus emendationem, ſenſim ſenſimque monitore Deo factam: Judaeos tamen identidem notans, utpote a majorum religione et virtute magis magisque

que degenerantes. Tum vero natum docet, non unius gentis, ſed generis humani Servatorem: atque animo jam renovato nova miracula narrat. Mox Christo cruci affixo, vastatisque Hieroſolymis, ſcena decedunt Judaei. Prodit altera coelorum progenies, Christiani; quorum et pietatem miramur ac virtutem, nec non foecundisſimam propagationem. Laudamus igitur Deum, tam ſanctae beataeque ſtirpis patrem. At paulatim in varias eos videmus divelli familias. Hinc lites, hinc vexationes mutuae, hinc, post Romani imperii interitum, validiore ſecta ceteras perpetuo opprimente, corruptisque identidem Christianorum moribus, teterrima tandem barbaries orbi illata. Hanc, Deum immortalem! quis non acerbe deploret? At ſtatim ſubvenit Historia, ſacrorumque proponens inſtaurationem, lacrymas abſtergit. Namque et ingeniorum cultus quam prospere inde provenerit, accurate refert, et flectendis oculis ad laetisſimam, qua nostra tempora patriis ſaltem in regionibus gaudent, rerum faciem, omnes bonos mirum in modum delectat. Talia ac tanta, quae Historia Eccleſiastica late tradit, parvula quaſi tabella descripſi, ut ſtudium ejus tam utile

esse, quam jucundum, vos A. A. ipsi videretis. Qua de re tamen si vobis nondum persuasum sit, cavete, ne me, incultae hujus descriptionis auctorem, mittentes, ipsam illam Historiam culpetis. Etenim laudem, qua universalis ab aevo ornatur Historia, haec quoque, eodem, dicam, an majori? jure sibi vindicat. Haec mentem coelesti lumine ultra fabulosa illa transfert tempora, quae cuncti terrarum orbis populi somniarunt. Hujus studium, quo sanctius et augustius ejus est argumentum, eo acriores nobis admovet stimulos, ut vitam moresque bene dirigamus. Quisquis autem sectarum Christianarum, earum maxime, quae nobiscum vivant, cognoscere cupiat origines, ad hanc quoque magistram discipulus accedat: hanc praeeuntem sequens ad antiquitatis secreta penetrare annitatur: opinionum ibi natales, incrementa, procreationes exploret summamque sibi capiat inde voluptatem.

Atque ejusmodi *voluptas quam arcte sit in Theologiae etiam Naturalis exercitatione cum utilitate conjuncta*, nescio sane, quomodo pro re dicam. Est Theologia Naturalis doctrinarum complexio, quas solius rationis ope ex rerum

ere-

creatarum confideratione posſumus colligere. Simul atque enim, five hunc adſpectabilem contemplemur mundum, five aethercam animorum vim ac vigorem meditemur; ftatim fefe nobis ſapientisſimi Numinis ita manifestat providentia, ut, quotquot de meliori luto facti fimus, ad religionem nobis informandam ſponte ducamur. Atque haec est, ut jam veteres animadvertisſe reperimus (*e*), non praecipua alicujus gentis aut focietatis fortuna, ſed cunctis mortalibus communis ac veluti innata pietas, cujus usque quaque apparent vestigia, quam primum feriis ii de rebus incipiant cogitare. Quam eximios autem Naturalis Theologiae exercitium, ad ſcholae leges rite compoſitum, quamque uberes homini afferat fructus, ex eo abunde colligi potest, quod, quidquid est religionis, hac Theologia tanquam fundamento nititur. Haec porro Phyſicen, Astronomiam, aliasque doctrinas fibi in auxilium vocans, ad earum quoque disquifitionem ſolertiores impellit. Pars igitur abdita Naturae miracula ſcrutantur: pars coeli metiuntur fidera: nonnulli, nunc quid inter corpus noſtrum et animum interfit, nunc quae fit malorum ac miſeriarum cauſa et origo, vel alia hujus generis expendunt: omnes autem

 in-

ingenti eruditionis copia inſtruuntur. Mores vero quam egregie pia hac naturae contemplatione emolliantur, quam penitus vitiorum ſordibus purgetur animus, Deum ſibi perpetuo praeſentem ſiſtens, res ipſa loquitur. Factum quidem est hoc ſtudium difficilius aliquanto et moleſtius, quod Philoſophi novas in dies excogitabant disputandi formulas. Et plurimum negotii facesſit Germaniae illa celebratisſima ſchola, quae primas in Philoſophia partes, non excultae rationi, ſed meris animi ſenſibus defert (*f*). At vero, quas prima ſpecie ſpinas esſe putaveris, potius ea laboris, ſummam cum utilitate jucunditatem afferentis, incitamenta ſunt. Fallor enim A. A., aut in Graecorum Romanorumque disciplinis opinionum, quas multi hodie novitatis titulo inſigniunt, principia habentur et fontes (*f**). At hos ibi quaerere, ibique investigare, non aliter potest, quin unicuique ingenii liberalioris homini in deliciis ſit. Translatus autem is ad veteres Philoſophiae ſtatores, his maxime adhaeret, horum ab ore pendet, temporisque ſui lutulentum ſermonem facile obliviſcitur. Jam cum Socrate, morti proximo, animorum immortalitatem tuetur. Jam Platonem

au-

audit de universo hoc, quem adspicimus, mundo, deque aeternis rerum exemplaribus subtiliter disputantem. Jam aureum illum legit CICERONIS *de Deorum Natura* librum, atque sese ex hujus terrae angustiis evolasse credit, superasque attigisse sedes. Athenis, in Tusculano, Romae, ad Siciliae fretum, cum excellentissimi ingenii viris vivit habitatque. Ab his autem ad sublimiora evectus, ipse summum in rerum natura rectorem vestigat, assequitur, admiratur: religionisque argumenta et officiorum causas undecunque colligit. O hominem terque, quaterque beatum! Magna et accurata excolitur doctrina: animo emendatur: virtutis amore perfunditur: coelestium jam his in terris videtur gaudio cumulari.

Suppeditant igitur, si dicendo quid effecerim, Disciplinae Theologicae Elementa tam utilem per se et jucundam exercitationem, ut bene ea ac diligenter pertractanda esse, negare possit nemo. Ex eo autem, quod altera nunc orationis parte probare conabor, *sedulo* nempe *unius Elementi studio cetera insigniter illustrari*, non minor iis fortasse accedet commendatio.

Et *sedulum primo Historiae Ecclesiasticae studium Naturalis Disciplinam Theologiae haud parum illustrat.* Multos enim illa nobis ostendit, eosque praestantis nonnunquam ingenii viros, qui, quoniam in Naturalis Theologiae principiis haesitabant, idcirco nec dubitandi modum repererunt, neque errandi finem. Mirari hinc desinimus Helvetii, Voltarii, plurimorum nobis aequalium putidissima de Christiana religione commenta, iidemque excitamur, ut sanae rationi, inanibus verborum captationibus seclusis, quam firmissime adhaereamus. Atque hoc haud temere. Placeat nempe sibi et applaudat id disputatorum genus, quod, ut ait Plato, prae sua scilicet sapientia, omnia commiscet, pietatisque fundamenta penitus evertit (*g*). Ceteris omnibus id sese jactet melius et prudentius. Sit quoque in novitatis specie dulcedinis aliquid, quod incautos juvenum animos alliciat, transversosque agat. Ast Ecclesiae Historia mutatis docet actoribus eandem plane ludi tragoediam, quae Antiquis jam plus semel lacrymas excussit. Iis autem, qui potissima religionis Naturalis capita sugillare non erubescunt, Mosen, Davidem, Jesaiam opponit, cunctosque Dei vates, quorum sunt oracula Servatoris nostri auctoritate probata, posteaque ab optimo

ptimo quoque ac ſapientisſimo plena animi perſuaſione accepta. *Nec minora haec Historia Hermeneuticae ſacrae praestat officia.* Videlicet Israëlitarum docet, aliarumque gentium facta, opiniones, mores, vitae genus, ut breviter dicam, docet omnia, quae ad Interpretem, ut ajunt, Historicum informandum requiruntur. Ac Graecorum quidem et Romanorum ſcriptorum quoniam historicum esſe Interpretem, necesſe est; talis quoque esſe debet, qui Sacrae Scripturae explicationem aggrediatur. Sed nolo multus esſe in argumento, quod clarisſimi nuper Viri ſatis ſuperque expenderunt (*h*). Paucis hoc addo, Historiam Eccleſiasticam, quatenus Interpretationis etiam fata referat, Sacram Hermeneuticam maximopere juvare. Exponit enim, quam horrenda opinionum monſtra, quam turpes morum depravationes, quam tristia et nefanda rei Christianae damna, per longam ſeculorum ſeriëm, una pepercrit, et etiamnum pasſim pariat germanae Interpretationis negligentia. Abſit vero longisſime, ut non niſi ſurdis, quemadmodum in proverbio est, fabulam narret. Audiunt eam, audiunt hoc nostro tempore plurimi, qui rectum ſequi cupiunt. Atque hi conſtanter Allegoricas horrent Mysticasque

que nugas, ac, per omnem vitam in Interpretatione Grammatico-Historica diligentes, de ſanctisſima religione bene merentur.

*Hermeneutices porro ſacrae ſtudium magno est uſui tam Theologiae Naturali, quam Historiae Eccleſiasticae.* At mirum fortasſe hoc vobis est A. A. Vestrum fortasſe non nemo nescit, quid ſibi boni de Hermeneutices ope Theologia posſit augurare Naturalis. Tune ergo, inquit, in divino illo codice idem plane contineri putas, quod ratione duce intelligatur? Tune igitur, pro hujus aevi calliditate, Christianum ſimulans, Christi tamen doctrinam ſpernis, eique curtam tuam ſubſtituis ſupellectilem? Ne nimis, quaeſo, indignemini A. A! Sacrae Scripturae argumentum duabus partibus abſolvitur, primum doctrinis, quibus revelandis nobis gratum fecit Deus; deinde rationis humanae decretis, quae ſacri ſcriptores non invito Deo propoſuerunt, explicuerunt, confirmaverunt, adverſus ea, quae objiciebantur, defenderunt. Atque haec rationis decreta quam ſcite isti et eleganter lectoribus ſuis exhibuerint, cum quisque vel me tacente videat; apparet quoque, quanti ſit, horum virorum mentem bene intelligere; qualesque propterea Herme-

neu-

neuticae ad Theologiam Naturalem illuſtrandam tribui debeant partes. Multo minus Hermeneutices hujus auxilio carere potest Historia Eccleſiastica. Ad hanc enim Historiam conſcribendam Patrum, uti dicuntur, Eccleſiasticorum ſcripta materiae copiam praebent. Haec vero ſunt ſimilia ſilvae, ubi licet flores legere, perque arborum tractus hilare obambulare; ſed ubi caute tamen et conſiderate verſandum est, ne per ignotos calles inopinate ad avia deducaris, ferarum latibula, nec ſine vitae discrimine effugienda. Talibus in locis quanti pretii peregrinatoribus dux est, diligenter cavens, ne a conſueto hi deflectant tramite, tanti profecto nobis est in Patrum lectione Hermeneutica ſacra. Hac nempe duce, quemadmodum CICERONIS verba ex PLATONE, ſic ex Veteri Novoque Foedere multa Patrum explicantur dicta, quae vel iisdem, vel mutatis vocibus ab Auctoribus ſacris ſunt mutuati. Eadem duce, quod ab hisce Patribus bene perſpectum atque enodatum, adeoque haud dubitanter amplectendum est, a crebris eorum erroribus ſatis perſpicue distinguere docemur. Quo autem quis ſit Hermeneutices peritior, eo certius errorum reperiet cauſas, eoque ma-

gis ad eos refellendos paratus erit atque inſtructus. Docuit hoc ſuo exemplo illud Patriae decus, HUGO GROTIUS. Hoc nuper comprobavere ERNESTIUS, SEMLERUS, MORUS, iisque pares eruditione viri, qui, liberali Sacrae Scripturae Interpretatione a Patrum argutiis revocanda, monimentum ſibi poſuerunt aere perennius (*i*).

*De luce, quae ex Theologiae Naturalis ſtudio Historiae Eccleſiasticae et Hermeneuticae Sacrae oritur*, age nunc A. A. vestra pace nonnulla adjiciam. Et primo ad Historiae Eccleſiasticae intelligentiam utilisſimum est, Theologiam Naturalem bene perſpectam habere: quippe quae non ſolum acuit ingenium, ſed et animum praeparat ad res gestas, remota omni praejudicata opinione, religioſe investigandas. Praeterea, hac inſtructi ſcientia, de Conciliorum ſtatutis ſubtilius judicabimus: et crebro accidet ut, quod damnaverit Monachorum inſcitia, nos probemus: contra vero longisſime ſaepe rejiciamus, quae omnium olim plauſu accepta ſint. Singularis porro in tractandis libris eorum Eccleſiae Patrum, qui ad ſuae Philoſophiae placita religionis doctrinam torſerunt, Theologiae Naturalis uſus est: ne ſcilicet

il-

illorum exemplo luxuriantis ingenii commenta cum ſanae rationis veritate confundamus. Quam inſigne autem in accurata hujus Theologiae cognitione Hermeneutices ſtudio poſitum ſit adjumentum, neſcio plane, quomodo pro rei dignitate dicam. Quibuscunque enim de divina Naturalis Theologiae origine certo perſuaſum est, nullam ii Interpretationis patiuntur legem, rationi repugnantem. At ſimul, quo magis Rationem ſuo momento ponderant, quo majoris eos Sacram aestimare Scripturam, quoque ejus divinitatem modestius venerari, neceſſe est. Sicuti ergo in puerorum ſcholis, ſi quis magistri munere rite fungitur, discipuli cum aſſidue amant, in oculis ferunt, ejusque tanquam ab ore pendent; ſic prudentes iſti rerum exiſtimatores Sacri Codicis disciplinae ſeſe ultro tradunt, ejusque auctoritatem ſtudioſe ſequuntur. Hinc Doctrinae Christianae argumentum exhibituri, ad hunc Codicem continuo concurrunt: hunc unum rogant: huic uni credunt: neque illos audiunt, qui, rationis ſuae praestantia ſuperbientes, ſi quid eam ſuperare videatur, audacter id et praeciſe negant. Hinc quoties ad Hermeneutices inſtructionem pervenitur, locum

quidem admonendi, quid caveri oporteat, Theologiae dant Naturali; ſed interpretandi leges ab una Sacra Scriptura accipiunt. Talis autem tantaque magistra nec fallit eos, neque a veritate abducit, ſed brevisſimam eo monſtrat viam. Hanc igitur ingresſi, magis magisque recta religionis intelligentia ornantur, moribus emendantur, virtute denique ac pietate augentur. Miſerandam vero lugent illorum ſortem, qui, coelestis magistrae opem aspernati, inextricabilibus ſeſe errorum ac flagitiorum labyrinthis implicuerunt.

Et hoc igitur probare conati ſumus, ſedulo unius Elementi ſtudio fieri, ut cetera inſigniter illustrentur. Tertia, cujus ſupra mentionem fecimus, cauſa, cur Elementa ista bene ac diligenter pertractanda ſint, in eo poſita est, quod *accurata eorum omnium cognitio ad altiores doctrinas bene addiscendas quaſi manu ducit.* Quam rem cum postrema nunc orationis noſtrae parte demonſtrare aggrediamur, eandem A. A. a vobis petimus humanitatem, cujus dicentibus nobis egregium hactenus indicium dedistis.

*Altiores doctrinas* memorans, eas volo, quarum Inſtitutio-

tionem ſcholarum leges Academiis attribuunt, *Theologiam* nempe *Christianam*, *Disciplinam Moralem*, *Scientiam Paſtoralem et Homileticam.*

Principio igitur tres illae, *Hiſtoria Eccleſiaſtica*, *Hermeneutica Sacra*, *Theologia Naturalis* occurrunt nobis, *Chriſtianae Theologiae officia praestantes.* Occurrunt vero, ut hoc utar ſimili, non triſti Parcarum vultu horrorem incutientes, ſed Charitum comitate et gratia amorem ſui ac deſiderium cuivis excitantes. Neque enim ſunt illae Theologorum placitis tam obnoxiae, ut cum ſervis comparari queant, atrocis herae imperio adſtrictis, ſed, ſi paulo disjunctiora componere licet, regalis potius virginis, in qua ſit omnium ſpes defixa, blandas referunt ac voluntarias educatrices. Quemadmodum autem tales ſingulae ſuum habent, quod exſequantur, munus; ſic doctrinarum illarum alii aliud negotium mandatum eſt. Et primum quidem, qualis conſtitui debeat Theologia Christiana, Hermeneutica Sacra docet. Nam non ſolum oſtendit, qua ratione ex Sacro Codice colligamus, quidquid ad religionem omnino pertineat, ſed etiam quomodo hoc ab iis, quae divini Auctores, minus ex mente ſua, quam pro aevi ſui

 inge-

ingenio locuti ſint, prudenter distinguatur. Nec praecipere negligit unquam de purganda Theologia ab omnibus ineptiis, quas male ſeduli homines, depravatis ſanctorum virorum verbis, in eam importarunt. Atque his, ſimilibusque praeceptis, a nemine adhuc impune ſpretis, cum abundet Hermeneutica; Historia Eccleſiastica eorum praestantiam exponit, eorumque pondus auget. Affirmat igitur haec, haud pauca, quae olim Religionis ornamenta viderentur, puerilia esſe *Scotistarum* aut *Thomistarum* (*k*) crepundia, hac ſane aetate ridenda et abjicienda. Quod dum jubet, revocata mox vetustisſimorum Christianorum memoria, quam integra ab initio et ſimplex fuerit Theologia, patefacit. Subinde vero eam ab adverſariis haud infeliciter defendit, manifesta quippe Dei facta, divinam ejus originem declarantia, perque multas aetates continuata, vanae homunculorum ſuſpicioni opponens. Ceterum Theologia Christiana nec pauca Theologiae etiam Naturali debet nec vulgaria. Cum enim ſic comparata ſit Sacra Scriptura, ut plurima, ad religionem pertinentia, vel obiter modo attingat, vel ſilentio prorſus praetereat; Theologia Christiana manca exiſteret et

im-

imperfecta, nisi haberet, unde consummaretur. Ista autem Theologia ei praebet Naturalis. Huic suae quoque sunt opes: haec thesauris abundat, quibus Theologiam ornet et amplificet Christianam, eamque ad integritatem et perfectionem perducere conetur. Quod ut Hermeneuticae Sacrae et Historiae Ecclesiasticae auxilio adjuta, tandem aliquando assequatur, Deum Optimum Maximum, oramus et obtestamur.

*Disciplina porro Moralis ut bene intelligatur, Elementorum studium eam praecedat, necesse est.* Fac enim te, quisquis sis, ab hoc studio imparatum, ad locos venire Morales, haud inepte compareris cum naufrago, in insulam ejecto incognitam et inauditam. Translatum te vides ad studium, tibi oppido novum, teque, quod miserrimum est, adminiculorum, quibus ejus rationem cognoscas, penitus egentem. Multarum insuper eges rerum notitia, quae tibi, hoc in studio qualicunque tandem modo versanti, utilius id ac jucundius facere potuisset. Et quoniam omnes Moralis Disciplinae doctores, in quoslibet forte fortuna incideris, pro rectae viae habes indicibus; cum insciis saepe nunc huc vagaris, nunc aliorsum: neque est fere, ubi errandi

finem

finem reperias. At vero quisquis, antequam ad Disciplinam Moralem accedit, Elementis ſeſe exercuit Theologicis; transgreditur is veluti e patria in contiguam regionem, ubi post breve tempus, nec locorum erit ignarus, neque expers praemiorum, quae illic induſtriam et laborem manent. Una nimirum nos conformat Hermeneutica ad congerendam ex Sacro Codice univerſam materiem, ex qua Disciplina Moralis conſtruatur. Nec ſegnius id curat, ut, quae ſancti viri ſuis dixerint locis, aetatibus, hominibus; a divinis illis discernamus agendi legibus, quae nunquam debeant antiquari, ſed perpetuo ſervari. Quandoquidem autem hae leges in Sacra Scriptura ſub gnomarum ſaepe latent et proverbiorum involucris; magni haec distinctio ponderis est: estque longe ſane majoris in re Morali, quam in Theologia Christiana. Theologia autem Naturalis qualia ſuppeditet et quanta ad Disciplinam Moralem amplificandam, limandam, confirmandam, unus ſuo exemplo declaravit Reinhardus, Germaniae illud ornamentum, quod ex oculis nuper ſublatum quaerimus (*l*). Historiam denique quod attinet Eccleſiasticam, non ſolum ea frequenti docet rerum eventu, quam arcte cum ſalute ſocietatis

cietatis recta morum Disciplina copulata ſit, ſed quemque, in hujus Disciplinae ſtudio verſantem, ad prudentiam excitat et cautionem. Patrum enim proponens crebros in locis moralibus errores, ſtudioſos ſui adhortatur, ut, quod Livius *foedum* appellat *inceptu*, *foedum*que *exitu*, prudenter vitent (*m*). Atque hinc Barbeyrachii (*n*), ſimiliumque virorum exiſtunt aemulatores, ſuperſtitioni ſemper adverſantes, at veritatis et virtutis vindices acerrimi.

Ad finem vergit Oratio. Quemadmodum univerſa Theologorum Disciplina, ſi res recte reputetur, hoc habet conſilium, ut boni informentur Christianorum Doctores; quemadmodum igitur omnia tandem *in ſcientiam* quaſi confluunt *Pastoralem et Homileticam; ſic et eo tendit Elementorum Inſtitutio.* Historia igitur Eccleſiastica tantum abſit, ut nuda nobis enumeret Orthodoxorum, qui vocantur, et Haereticorum nomina aut fata, ut potius eorum facta articulatim exponat, cumque factorum memoria, ut modo ſignificavimus, cauſarum atque effectuum relationem ſapienter conjungat. Fit igitur ejus ſtudium, quod appellant, *Pragmaticum*, quodque omnis Historiae ſtudium fieri, Polybius,

Cicero aliique justi rerum judices voluerunt (*o*). Hanc proinde sibi Magistram sumant ingenui Juvenes, qui, ubi posthac erunt ad sacrorum Oratorum numerum adscripti, vulgo nolint inflammare animos, sed irarum flammas exstinguere. Ad hanc accedat, qui in monendo olim et castigando non vage versari cupiat, sed hoc officio ita fungi, ut nec desit spes peccantes corrigendi, neque haec facile frustretur. Hermeneuticae autem sacrae praeceptis si qui Theologiae studiosi obsequuntur; non ii docendis rebus, quae vetustiori erant aevo accommodatae, turbabunt auditores; neque, orationes suas obscurioribus Orientalium dictis onerantes, canoras nugas pro elegantia venditabunt; neque in explicandis denique sanctorum virorum effatis ridiculos pro concione agent syllabarum aucupes; sed docti atque diserti Sacrae Scripturae Interpretes, et dicentur, et dici merebuntur. Ac licet alii, pro mirabili sua inscitia et cupiditate, doctoris Christiani munus antiquo Israëlitarum assimilantes sacerdotio, hujus quoque sibi jura arrogent, seseque erga universam hominum societatem stolide satis et insolenter gerant; hi tamen, muneri suo suum statuentes pretium, tum

pro-

probos se semper praestabunt homines et cives, tum vero modestissimos Religionis patronos. Ceterum Theologia etiam Naturalis Doctoribus Christianis, quo delirantium mentes ad sanitatem reducant, haud pauca indicat remedia, sacrisque eorum orationibus insignem rerum praebet copiam. Quid dico? Locos ea oratori aeque atque auditoribus aperit vere amoenissimos. Hic sunt quasi prata, uberrimo rore virentia. Hic fontes castissimae voluptatis aeternum manant. Hic ducitur mens humana ad augustissimum illud naturae spectaculum, ubi gaudet, exsultat, tripudiat, quidquid vitae luce fruitur. Adeste huc, quotquot orationibus vestris, ut et vobis, et aliis quam utilissimae sint, vim ac lumen exoptatis! Hic vos excurrite! Hic exspatientur omnes, qui vestrae curae commissi sunt! Videant, quae hic ubique prostant, vestigia Dei! Audiant Dei laudes, quae cunctorum celebrantur ore! Tanto Dei amore incendantur, ut tendant ad id, quo mortales summe beatos fieri, inclytus Dei filius verbis factisque fidem dedit, ut discant igitur, Deum imitari.

Atque sic peracto consilio hinc descenderem, nisi aliud moneret festus hicce dies, meoque mihi natali dulcior.

 Et

Et primum quidem monet, ut vos ſalutem, Nobilisſimi Viri, hujus Athenaei Curatores! Quam grata autem temporis, meam erga vos obſervantiam testificandi, mihi accidat opportunitas, vix ac ne vix quidem dicere posſum. Nimirum quamvis Regis munificentia, quae me ad hunc amplisſimum Profesſorum ordinem vocabat, haud mediocri me affecit gaudio; id tamen, ſimul atque ad me perlatum erat, vos, tam clari nominis viros, hujus Athenaei esſe curatores deſignatos, maximopere auctum est. Utique vero vos jam ſatis ſuperque ſignificaſtis, quam vehementer ſibi hoc Athenaeum de veſtro in ſe ſtudio gratulari debeat, quantaque ego de veſtro favore mihi audeam ſperare. Quapropter hoc mihi concedite, Viri Nobilisſimi! ut me meosque data hac occaſione ac ſumma cum reverentia vobis commendem. Quidquid in me ſit ingenii aut doctrinae, nihil equidem antiquius ducam, quam ut conferam illud ad munus, mihi delatum, religioſe exſequendum. Ingenii autem mei et doctrinae exiguitatem, quam non ſimulate, ſed ex animo profiteor, laboris certe et exercitii asſiduitate pro viribus meis compenſare conabor. Vobis vero, Nobilisſimi

Vi-

Viri! quod ad hujus Athenaei gloriam, publicamque ſalutem augendam ſuſcipiatis, ratum id omne fauſtumque faciat Deus; isque beneficiorum copia, tum in vos, tum in veſtros omnes collatorum, virtutem veſtram remuneretur!

Vos ut ſilentio praetermittam, Clarisſimi Viri, quarumvis Doctrinarum Profesſores! nec fert mos majorum, nec veſtra dignitas, neque animi grati conſcientia. Tanta profecto me tenuit veſtri nominis reverentia, ut me fere puderet, me, novum quippe hominem, huic ſplendidisſimo ordini adſcriptum esſe. At veſtrum plurimi, ſimulatque eos nuper, vel Amſtelodami, vel hac in urbe inviſebam, comitate me complexi ſunt plane ſingulari. Hospitio me, et tunc, et nunc iterum excepit ſenex aetate, virtute, meritis maxime venerandus, WASSENBERGHIUS. Vos vero, quorum in viſum adſpectumque hiſce demum venio diebus, id omnino mihi praeſtatis benevolentiae, quod, ſi vos antea inviſere mihi licuisſet, jam tunc mihi haud dubie praeſtitisſetis. Hoc recreavit animum. Hoc ſollicitudinem in laetisſimam veſtrae familiaritatis ſpem commutavit. Ad hanc igitur ſpem erectus, et apud vos habitatum veni, et veſtrae hodie humanitati ab hoc ſuggestu

me committo. Me veſtrum, Viri Clarisſimi! accipite ſocium, amicum, eundemque haud raro discipulum. Meis favete ſtudiis: et, ſi quid erravero, placide corrigite! Omnibus ego contendam nervis, ut vobis gratum faciam, utque memet veſtra amicitia non prorſus exhibeam indignum. Faxit Deus, vos, Viri Clarisſimi! mihi ita viam ad altiora praeeatis, ego autem veſtra veſtigia tam continenter premam, ut conſociatis viribus, et multos disciplinae noſtrae alumnos ad praeclaram rarae eruditionis ac virtutis laudem perducamus, et, magnam huic Athenaeo gloriam comparantes, veterem illam Academiam Franequeranam ex ruinis ſuis reſtituisſe videamur!

Talis ardens tantaeque gloriae cupiditate, ad vos venio, vos compello, Praeſtantisſimi Juvenes, qui, ut literis exerceremini, ad hoc Athenaeum convenistis! Eadem honeſtisſimae gloriae vos velim omnes cupiditate inflammare. Vobis autem, quotquot veſtrum ſeſe meam in disciplinam traditurі ſunt, me offero praeceptorem, commodis veſtris toto deditum animo atque devotum. Talem me accipite, meisque curis omnia veſtra ſtudia committite. Negligentia quidem

et

et ignavia ſeverum me habebit cenſorem; quippe qui ipſe laborem, quo et alumnis meis et publicae rei proſim, nulla de cauſa ſubterfugiam: at ſtrenuis et impigris, ut vel deſint ingenii vires, facilis ſemper ero comisque dux et adjutor. Nec generoſis illis animis, qui, nihil ſibi arduum putantes, ad verae eruditionis faſtigium adſpirant, magistrum me exhibebo, muneris dignitate ſuperiorem, ſed blandum me praeſtabo viae comitem, ſed amicorum nomine complectar eos et fovebo. Vos mihi igitur, Praeſtantisſimi Juvenes! meisque, quaeſo! praeceptis morem gerite! Vos vota ſolvite, Deo, patriae, parentibus facta! Vos denique ſocietatis Christianae ſpem, in vobis collocatam, explete et ſuperate!



## A N N O T A T I O.

**Hanc meam Orationem in lucem edenti, visum mihi est, aliquot ei, in Tironum maxime gratiam, adjicere annotatiunculas: quod lectorum neminem aegre laturum, spero atque confido.**

(*a*) Vide summi viri *Instit. Interp. N. T. p.* 11. *ed. IV. Amm.* Brevius Hermeneuticen *artem sacros libros interpretandi* dixit BECK. in *Monogramm. Hermeneut. libr. N. T. Part. I. p.* 1. Quocum cf. JAHN. *Enchirid. Hermeneut. Gener. Tab. V. et N. T. p.* 11. Adde, si tanti videtur, quae diximus non ita pridem in Horreo, cui titulus: *Bijdragen tot de Beoefening en geschiedenis der Godgeleerde Wetenschappen.* Tom. I. p. 146. s. s.

(*b*) ERASMUM etiam, DRUSIUM, GROTIUM laudare potuissem, aliosque, qui, quamvis Hermeneutices disciplinam neutiquam ad scholae legem edocti erant, boni tamen exstiterunt librorum divinorum interpretes. Sed norunt omnes, magnos hosce viros a diligenti Graecorum, Romanorumque scriptorum lectione ad sacram scripturam explicandam promptos et paratos accessisse. Et si vel accessissent imparati, quis tamen ad praeclara ista ingenia, quae omnia *sibi* deberent, nostros aequiparet tirones, tardos haud raro et mente imbecillos? Sed ne plura! Legatur PLANCKII liber utilissimus: *Einleitung in die Theologische Wissenschaften.* Tom. II. p. 94. s. s. Mitto alios.

(*c*) Inprudentibus illis, qui *Moralem* quandam sacrae scripturae *Interpretationem* in locum *Interpretationis Grammatico-Historicae* supponi voluerunt, quosque post alios confutavit NOESSELT. in *Exercit. ad S. S. Interp.* p. 275. s. s., temere annumeratur KANTIUS. Vide ejus librum, haud omnino spernendum: *die Religion innerhalb der Grenzen der bloszen vernunft.* Ed. 2. p. 47, 157, al. cf. et MELLIN. *Encyclopädisches Wörterbuch der kritischen Philosophie.* Tom. I. Part. 2. pag. 423. s. s.

(*d*) CLEM. *Alex. Admon. ad Gent.* p. 4. Ed. Par. 1641 ὅρα τὸ ᾆσμα τὸ καινὸν, ὅσον ἴσχυσεν' ἀνθρώπους ἐκ λίθων καὶ ἀνθρώπους ἐκ θηρίων πεποίηκεν. cf. HORATIUS *de Art. Poët.* v. 391--396 ubi *Orphei* et *Amphionis* fabulae narrantur.

(*e*) Cff. CICER. *de Nat. Deor.* Lib I. 16. II. 4, 16, aliique, quos inter praecipue MAXIMUS TYRIUS, Dissert. XVII. Cap. 5. p. 195. Ed. DAV. Quem locum etiam laudatum video ab H. WITSIO *in Exerc. sacr. in Symb. Apost. et Orat. Dom.* p. 46. Et hac de re recte CLEM. *Alex.* l. c. p. 45: πᾶσιν ἀνθρώποις ἐνέστακταί τις ἀπόῤῥοια θεική.

(*f*) Non

(*f*) Non ignorabunt Viri docti, me SCHELLINGII maxime scholam significare voluisse, cujus Philosophi de religione sententiam, tum alibi, tum in libro: *Philosophie und Religion*, proditam, post alios examinarunt VOGEL. in GABLERI Diario: *Journal für auserlesene Theologische Literatur.* Tom. V. p. 1. s. s., et SÜSKIND. in Horreo suo: *Magazin für christliche Dogmatik und Moral.* Fasc. XVII. p. 1. s. s. Huic quidem SCHELLINGIUS sese responsurum esse, promisit in Museo suo, cui titulum fecit: *Allgemeine Zeitschrift von Deutschen für Deutsche.* Tom. I. Part. 1. p. 98: at fidem, quantum scio, nondum liberavit.

(*f**) Sic v. c. SCHELLINGIUM non solum ex SPINOSAE Disciplina, sed ex placitis *Neo-Platonicorum* quam plurima petiisse, veterum lectio aperte docet. Idem est judicium STÄUDLINI in *Lehrbuch der Dogmatik und Dogmengeschichte* Ed. 3. pag. 34. et 172.

(*g*) PLATO *Opp. T. I. p.* 101. E. ed. SERR. ἱκανὶ γὰρ, ὑπὸ σοφίας ἐμοῦ πάντα κυκῶντες, ὅμως δύνασθαι αὐτοὶ αὑτοῖς ἀρέσκειν.

(*h*) Legantur V.V. D.D., quos laudavi in Dissertatione *de recta Novi Foederis Interpretandi Ratione*, quae inserta est *Opp. Societ. Teyler. Theol.* Tom. XXVII. p. 80. s. s. Addatur in primis KEILII Disputatio in libro, quem conjunctim edit cum TZSCHIRNERO: *Analekten für das Studium der exegetischen und Systematischen Theologie.* Tom. I. Part. 1. p 47. s. s. Cf. tamen, quae opposuit STÄUDLIN. in Diario, quod vulgant AMMON et BERTHOLDT sub titulo: *Kritisches Journal der neuesten theologischen Literatur.* T. I. Part. 4. p. 321. s. s. T. II. Part. 1. p. 1. s. s. et Part. 2. p. 113. s. s.

(*i*) Quanto Jure verba HORATII *Carm. Lib. III. Od.* 30. hos in viros transtulerim, docent NOESSELTI *Narratio de* SEMLERO *ejusque ingenio inprimis et meritis in Interpretationem S. S.;* BECKII *Recitatio de* S. F. N. MORO; et VOORSTII, Praeceptoris mei aestimatissimi *Oratio de* JOANNE AUGUSTO ERNESTIO, *optimo post* HUGONEM GROTIUM, *Duce et Magistro Interpretum Novi Foederis.* De GROTII meritis legatur praeter alios SEGARII *Oratio de* HUGONE GROTIO, *illustri humanorum et divinorum Novi Foederis scriptorum Interprete.*

(*k*) De Sectis hisce, quarum haec THOMAE *Aquinatis*, illa vero JOANNIS DUNS *scoti*, habet nomen, legantur Historiae Ecclesiasticae scriptores, ut v. c. MOSHEMIUS, *Institution. Hist. Eccles.* p. 594. VENEMA, *Histor. Eccles. Christ.* Tom. VI. p. 336. s. s. SCHRÖCKIUS, *Christliche Kirchengeschichte.* Tom. XXIX. Alii.

(*l*) Meam in rem verti iterum HORATII verba, *Carm. Lib.* III. *Od.* 24. Nec levi autem de causa. Nam quantum Disciplina Moralis REINHARDO debeat, testatum est omnibus, qui praeclarum ejus opus: *System der Christliche Moral*, cujus nuperrime exire coepit quinta editio, tritum habent et usitatum.

(*m*) Egregie LIVIUS, *Hist. Praef.* Tom. 1. p. 4 ed. ERN: *Hoc illud est praecipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri: inde tibi tuaeque reipublicae, quod imitere, capias: inde, foedum inceptu, foedum exitu, quod vites.*

(*n*) Hu-

(*n*) Hujus eximii viri maxime significavi librum, cui titulus est: *Traité de la Morale des Pères de l'Eglise*, et quem omnibus, ad veram eruditionis laudem adspirantibus, admodum commendatum velim.

(*o*) Hac de re POLYBIUS saepius egit. v. c. *Histor.* Lib. III. p. 185. A. ed CAS: ἱστορίας γὰρ ἐὰν ἀφέλῃ τις τὸ διὰ τί, καὶ πῶς, καὶ τίνος χάριν ἐπράχθη, καὶ τὸ πραχθὲν πότερα εὔλογον ἔσχε τὸ τέλος, τὸ καταλειπόμενον αὐτῆς, ἀγώνισμα μὲν, μάθημα δὲ οὐ γίγνεται. Videatur GOUDOEVERI *disputatio Philologica de Historicis* POLYBII *laudibus.* Nobilis est locus CICERONIS *de Orat.* Lib. II. cap. 15, ubi haec ANTONIUS: *Rerum ratio ordinem temporum desiderat, regionum descriptionem: vult etiam, quoniam in rebus magnis memoriaque dignis consilia primum, deinde acta, postea eventus exspectantur, et de consiliis significari, quid scriptor probet, et in rebus gestis declarari non solum, quid actum, aut dictum sit, sed etiam quomodo: et cum de eventu dicatur, ut causae explicentur omnes, vel casus, vel sapientiae, vel temeritatis: hominumque ipsorum non solum res gestae, sed etiam, qui fama ac nomine excellant, de cujusque vita atque natura.* Sed legatur omnino BORGERI *disputatio de officiis historici in patefaciendis opinionibus* &c., quae reperitur in *Letter- en Oudheidkundige Verhandelingen van de Hollandsche Maatschappij van Wetenschappen te Haarlem* Tom. I. p. 267 s. s.

## E R R A T A.

Pag. 1. *Spec-tat.* l. *ſpe-ctat.*

— 4. *Vulgo* l. *vulgo.*

— 5. *opt. max.* l. *Opt. Max.*

— 8. *pe-regrin.* l. *per-egrin.*

— 9. *adla etisſ.* l. *ad lactisſ.*

— 21. *adſtrictis*, l. *adſtrictis;*

— 23. *Maximum*, *l. Maximum*





